

RECTOR  
GYMNASII ZITTAVIENSIS,  
EX INDULTU  
LEGUM SCHOLASTICARUM,  
**FERIAS CA-**  
**NICULARES,**  
D. XXIV. JUL. M'DCLXXIX.  
HORIS POMERIDIANIS  
INCHOANDAS,  
PUBLICE INDICIT,  
SIMUL Q<sup>U</sup>I  
AD  
PRIVATA ET EXTRAOR-  
DINARIA STUDIA  
MELIORIS INDOLIS AV-  
DITORES  
INVITAT.

---

ZITTAVIÆ  
TYPIS MICHAELIS HARTMANNI.

**S**Irius indicit Ferias.

Dum enim privatis singulorum curis fervent agri,  
aliquid negotiis detrahendum publicis.

Sic è labore venit relaxatio,  
è negotio otium:

Sic sudante campo, friget oppidum.

Sed miretur aliquis

Scholis etiam Gymnasiis & Academiis placere ferias,  
quas quidem necessitas indulxit Agricolis,  
aut Agricolarum Dominis.

Cur dormiant Eruditi, vigilantibus Rusticis?

Cur Messem suam negligant homines meliores,

Si colligendis frugibus tam strenue occupantur deteriores?

**D**emosthenem sanè pudebat otiali, cum sonarent Fabrorum incudes:

An sine pudore exaudiantur stridentes per agrum falces?

Neq; Solis æstus omnino excludit studia,  
nisi Majum, nisi Junium, nisi reliquos Menses  
Canicularibus adscribere libeat.

**F**orte sunt discipuli ad paternarum messium custodiam dimittendi:

Sed cur deseruntur omnes,

Si excusatio legitima pertinet ad paucos?

Cur ignaviæ privilegium promulgatur singulis,  
si communem otiani non habent causam?

Forte Præceptores ad agrorum vocantur inspectionem?

Scilicet ampliori prædiorum possessione nunc distrahuntur,  
postquam è Monasteriis Pontificiorum,

quibus passim successerunt Scholæ,  
traductum simul videtur votum Paupertatis.

Multorum igitur invidiâ laborant feriae:

**q**ui satius putant discendi consuetudinem servari apud Juvenes,

quam concessis subinde intervallis

eodem reddi Themistocle perfectiores,

qui frustra sibi exoptasset obliuiscendi artem.

**Cæ-**

Cæterum

Habeat Antiquitas prudentiæ gloriam,  
Si communis Europæorum consensus otia probavit.

Eruditi sanè rcliquis mortalibus permixti  
Messim labore non tanguntur, sed moventur strepitu.

Neq; studiis noxia quies: dummodo tempestiva.

Si Musis aliqua sunt perficienda, cum agit Ceres;  
Cur Ceres dormit, metentibus etiam in hiemè Musis?

Suâ cuivis ordini sunt momenta.

Torpeant Agricolæ ad fervorem fornacis in vaporario:

Lentius procedant Scholæ ad æstum Solis in campo.

Pulchrum est cum Demosthene experiri Auroram Musis amicam:

Interim Demosthenes aut homo non fuit,  
aut minus durabile agnovit, quod careret alterna requie.

Dormiamus otiosi,

ne somnum non excussum deprehendamus occupati.

Ipsi messores certis respirationibus pensa sua distingvunt:

Scholæ etiam non habent septimanam,  
quin bis meridiem aut otiosum inveniant, aut minus laboriosum.

Quod igitur felix & faustum sit,

**HABEAMUS IN FUTURUM MENSEM CANICULARES,**

ac matutinis studiis defuncti

silere patiamur post meridiem pulpta publica.

Non repugnabimus aliquos deferri in agros.

Sive enim exercitum leviter corpus animum reddit vegetiorem,

Sive Agricolarum sudor universale laboris Symbolum est,

Sive etiam Eruditos à rerum Oeconomicarum notitia

non decet esse alienos;

erit certè aliquis otii fructus.

Neq; tamen repugnabimus

quietem publicam frangi studiis privatis.

Quo longior enim Scientia, quo brevior vita,

eo promptius obsecundandum discipulis ad ulteriora festinaturis.

Et est vero magnum industriæ incitamentum,

a lectionibus ordinariis

aliquando prolabi ad extraordinaria, specie novitatis gratiora.

Qui-

Quinimo publicus docentium cursus,  
suis quasi cancellis impeditus,  
ad maximè necessaria procedere ut plurimum jubetur:  
Privata vicissim hæc libertas,  
dulci hoc nomine, studiorum novam conciliat dulcedinem.

Proinde

Si qui Præceptores olim sequentur Theologos,  
Hebraicæ Lingvæ apud me percipient rudimenta;  
qui ex adverso inter Politicos florere cupiunt,  
redire me ad Orationes, nuper intermissas, intelligent.

Ac adeo,

Juvenes dilectissimi,  
quod nuper in fériis nuptialibus à me promitti meministis,  
omnem quietis fructum è vestris profectibus,  
omnem vitæ svavitatem è studiis vestris vitæ adsefactis,  
omnem deniq; amorem è fœcunda vestra præsentia  
metiri constitutum est.

Hoc nimirum fuerit otio non abuti:

Quid? hoc fuerit juvenilibus negotiis  
provectioris ætatis meliora præparare otia:

Imo hoc fuerit amare Præceptorem,

Si ab ejus sive latere sive pedibus  
ne feriandi quidem licentia vos dimoveat.

HABEAMUS CANICULARES,

Sed quales coluit Majolus, quales Lipsius

Puteanus, Muretus & alii,

quorum præcipua scripta etiam debemus Canicularibus.

Sic Deus feliciter effluere jubeat Mensem hunc,

Messesq; tum horreis tum ingeniis largiatur

quam maximè salutares!

